UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Martyrivm S. Apolloniae Virginis, ex Epistola Dionysij Alexandrini, ad Fabium Antiochenum Episcopum, quæ est apud Eusebium, Lib. 6. Cap. 34. hist. Ecclesiast. Passa est Anno Domini 252. Fabiani Papæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

Visual Library

MARTYRIVM S. APOLLONIAE Virginis,, ex Epiſtola Dionyſij Alexandrini, ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, quæ eſt apud Euſebium Lib. 6. Cap. 34. hiſt. Eccleſiaſt. Paſſa eſt Anno Domini 252. Fabiani Papæ 14. Philippi Imperatoris 7.

Vide Cæſ. Baron. Ann. Tom. 2.

9. Februarij.

GRauis admodum tumultus hoc ipſo anno, qui quidem præceſſit Decij perſecutionem, Alexādriæ in Chriſtianos excitatus eſt, inſtigāre in eos, Mago quodā Aegyptio. Quā ſæua ac furēs hæc, fuerit repētina graſſatio, teſtatur Dionyſius his verbis. Non ex Imp. edicto (inquit) perſecutio apud nos incepta fuit, ſed integro anno præuerterat. Nam vates (quiſqs ille fuerit) malorum omnium, quæ huic ciuitati acciderunt, architectus, infinitam gentiliū turbā contra nos incitauerat, impuleratque. Atque adeò ad patriam ſuā & antiquā ſuperſtitioné defendendā magnopere inſtigarat, qui ab illo ad maleuolentiam irritati, omnemque aucupati licentiā ad ſcelus patrandū, ſolam pietatē & verum cultū dæmonum ſuorum iſtum cenſuerunt: vt Chriſtianorum cæde & ſanguine ſuas crudeles manus reſpergerent. Et paulò infra. Tum verò vno quaſi animorū impetu, omnes in piorū ædes irruere, & ſinguli, quos ſibi vicinos eſſe cognouerant, properè educere, expoliare, diripere, & diuitias ac ſuppellectilem, ſi quæ erat pretioſior, ſibi ſeponere: ſi quæ vilior, ſordidior; & ex ligno confecta, in vijs diſſipare, deinde exurere, adeò vt ciuitas illa verā ſpeciem vrbis ab hoſtibus captæ, diſpoliatæque probè repræſentaret. Fratres ergò deflectere è via, & in loca ſeparata ac ſolitaria ſe ſubducere, rapinā bonorūm ſuorum ſimiliter cū illis, quibus Pau-

Gentilium immanis crudelitas.

lus illu-

ius illuſtre perhibet teſtimonium, cum gaudio ſuſcipere. Atque haud ſcio vtrum quiſquam, præter aliquem vnum alicubi fortaſsè huc vſque Dominam denegauerit. Apolloniã porrò virginem id temporis cum primis admirandam, & admodum prouectâ ætate compræhendunt, maxilliſq; eius crudeliter diuerberatis, omnes dentes illi excutiunt, atque rogo in ſuburbijs extructo, minantur, niſi verba blaſphemiæ vna cum ipſis palàm eloqueretur, ſe eam viuam crematuros. Illa paululum intra ſemetipſam deliberans, repentè ſe de manibus impiorum proripuit, & in ignem quem parauerant maiori ſancti ſpiritus flamma intus accẽſa, ſpontè proſiliuit, ita vt perterrerentur etiam ipſi crudelitatis autores, quod promptior inuenta eſſet ad mortem fœmina quam perſecutor ad pœnam.

Heb. 10.

S. Apollonia comprehenditur & cruciatur.

Vltro ſe præcipitat in flammas.

MARTYRIVM S. NICEPHORI, EX *Metaphraſte. Certauit pro fide, Anno Christi 260. Sixti. Pap. 1. Valer. & Gal. Imperat. 6.*

Vide Cæſar. Baron Ann. Tom. 2.

IN tempore illo, erat presbyter quidam Antiochiæ Sapricius nomine, cui ſumma & fraterna quædam familiaritas intercedebat cum homine quodam laico Nicephoro, adeò vt nunquam contracta à teneris vnguiculis amicitia, interrumpi poſſe videretur. Verum enimuerò ſceleratiſſimus humani generis hoſtis, cũ ſuprema inter eos pax maximè vigere videretur, tam acerbo alterum in alterius perniciem odio concitauit, vt ſe mutuo colloquio, vterq; indignus reputaret. Cumque longo tempore hoc modo capitali inimicitia diſiuncti eſſent, Nicephorus ſalutari dolore compunctus, amicos quoſdam ſub-

9. Februarij

Summus amor in ſummum odium mutatus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN